

« des moyens de salut pour la société chrétienne serait de cesser
« d'enseigner les auteurs païens, au moins dans les basses classes. »

Le Cardinal Patrizi vous a fait la réponse suivante :

“ *Illustris ac Reverendissime Domine uti frater.* ”

“ Ex tuis litteris die 23. novembris anno proximo elapso ad me
datis Eminentissimi Patres Cardinales una mecum Sacre Inquisi-
tioni præpositi ægre admodum intellexerunt graves in ista diœcesi
obortas esse et adhuc commoveri dissentiones inter viros potissi-
mum ecclesiasticos, propterea quia in tradendis humanioribus
litteris tum in Semenarîo diœcesano, tum in aliis puerorum juve-
numque collegiis vigilantie atque auctoritati tuæ commissis libri
ab ethnicis auctoribus conscripti, licet emendati, præleguntur.
Non est profecto, cur qui hujusmodi libros a litterarum studiis
amandandos existimant, hac in re vehementer sollicitos anxiosque
se præbeant. Explorata enim res est et antiqua constantique
consuetudine comprobata, adolescentes etiam clericos germanam
dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam sive ex sapientis-
simis Sanctorum Patrum operibus, sive ex clarissimis ethnicis
scriptoribus ab omni labe purgatis absque ullo periculo addiscere
optimo jure posse. Id ab Ecclesia non toleratur modo, sed omnino
permittitur, et a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. perspicue
declaratum fuit in epistola encyclica ad Galliarum Episcopos die
21. martii 1853. missa. Quum igitur antiqui libri ab ethnicis græce
aut latine conscripti, qui in seminario et collegiis istis adhibentur,
non ii nimirum sint, qui res lascivas seu obscenas tractant,
narrant, aut docent, imo ab omni labe sint jam diligentissime
expurgati, sicut insigni testimonio tuo ultro fateris, idcirco nihil
est quod in usu hujusmodi librorum jure possit reprehendi.
Verumtamen illud maxime dolendum est, quod hanc ob causam,
disturbata isthic cleri concordia, non parum commoti sint animi :
quia si semper, nunc certe viri catholici præsertim ecclesiastici
non in agitandis fovendisque importunis controversiis, sed in
catholica tuenda veritate et in sanctæ ecclesiæ juribus, quæ adeo
divexatur, propugnandis omnem operam et industriam debent
impendere. Quare Te maximopere Sacra hæc Cōgregatio in
Domino cohortatur, ut non minori contentione quam pastoralis
caritate ecclesiasticos istos viros concordissimis animis idipsum
dicere omnes et in eodem sensu atque in eadem sententia perfectos
esse moneas; atque efficias ut ab omni quæstionum vanitate